



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

Antipharmacum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40295**

faciam, niſi pecunias expendero; tum enim omnis mox inhoneſtas euauuit.

At Lutherus ſuos caſus ſecutus, reſpondet affirmatiuè: quia ſupra accepisti, me, defuncta uxore, eius ſororem, & qualemcunque cognatam ducere poſſe, præter matrem eius & filiam. (quanto magis ſororem & qualemcunque cognatam ſponſa ducere licebit?) Hic tibi murus aheneus eſto, & quidquid ſtulti iſti nugati fuerint, ſine. Ego enim ſum, qui hoc ſanxi, Martinus Iſlebicus, Elias tertius. *av-  
ròs è Qa.* Nullus contra hiſcat aut ſciſcat.

Quæritur XXVI. quid ſentiendum de impedimento Ordinis? Reſpondet Lutherus in Captiuitate Babylo- nica: Hoc impedimentum merum eſt hominum commen- tum, præſertim cum garriant, eo dirimi etiam contractum, ſemper ſuas traditiones ſuper Dei mandata exaltantes, &c. Eſt ergo inter ſacerdotem & uxorem verum & inſeparabile matrimonium, mandatis diuinis probatum. Quid ſi impij ho- mines illud prohibeant aut dirimant mera tyrannide ſua? Eſto, ſit illicitum apud homines, licitum tamen eſt apud Deum, cuius mandatum ſi contra hominum pugnet mandata, eſt præfe- rendum.

### *Antipharmacum.*

HÆC Lutherus pro ſe & ſuis ſcripſit. quia, niſi talia ſcripſiſſet, & imperitis hominibus perſuaſiſſet, omnes Lutherum, Carlſtadium, Ionam, Amſtorphium, Zuuinglium, & innumerabiles alios pro nebulonibus habuiſſent: quippe qui ſacris Ordinib. initiati, mer- trices ſibi ſub ſpecioſo matrimonij nomine copularint.

Quæritur XXVII. quid de impedimento Voti ſentiendum, ſi quis vel intra vel extra Monasteria caſtitem voverit. Reſpondet Lutherus, ſermone de Matrim.

Tuum votum cum Deo pugnat, adeoque, nihil est: sicque dicas; quod nec meum, nec mei iuris est, id sponendi. Quare, votum rescindas, monasticen deseras oportet, moxque ad naturalem sociam adiungas te matrimony lege. (Exemplo suo præiuit Lutherus, iterque monstravit)

Quæritur XXVIII. quid nam secundum Lutherum prudenter voueri possit? Respondet; si aliquid prudenter vouere cogitas, voueas quod tuum tibi nasum demandere nolis: *Daß du dir nit wollest die Nasen abbeissen. Hoc enim seruare potes.*

Quæritur XXIX. num valeat matrimonium, si quis illud contrahat adactus metu cadente in constantem virum? Respondet Lutherus Serm. de Matrim. *Huiusmodi matrimonium coram Deo nullum esse. Addit, Attamen huic coactioni assentiri quisquam non deberet, & alio potius conferre sese, ne puellam, aut uxorem eam deluderet, aut in laqueum duceret; hoc enim excusatus non es, quòd inuitus & coactus duxeris. Non cogi debebas, ut proximo tuo damnum dares, & ante vitam impenderes, quàm aduersus charitatem quidquam admitteres. Neq; enim tu optares sanè, ut quispiã incommodaret tibi, siue coactus siue nõ coactus. Eum ergò liberũ iudicare nequeo, qui ob hanc sibi causam diuortium querit. Cedo, si quis te, uti in rebus meis furtum admitteres, compelleret, aut ut me neci dares; num ideo, iniustum non erit? Cur coactioni pares, quæ contra præceptum Dei tui, proximumq; delinquere te compellit?*

### *Antipharmacum.*

QVAM animosus & imperterritus est Lutherus? qui sine dubio ita affectus erat, ut potius tres, quatuor, quinque, & plures feminas ducturus fuerit, quàm ut mortem subiret, Et quænam hæc fatuitas? Fatetur Lutherus